

Aderationem non habent distinctam, sed ad horum explicationem faciunt: status enim naturalis contemplatio locum habet, quum de certis signis agimus, vel alio loco, quum expendimus quid admittant vires in propulsione eius, quod est præter naturam. Tantum enim custodiae virium studemus, quatenus retenta vita morbosos affectus propulsione nobis licet. Agimus de victus ratione consueta, ætate, regione, cœli statu, sexu, animi moribus, & reliquis omnibus, quæ mutandi corpus nostrum vim habent; quum causas morborum illorumque excessum, & reliquias differentias querimus. Locus affectus causæ rationem obtinet; symptomata alia signa sunt. Scopi agendi, & indicationes ad actionem pertinent, & in eo capite locum suum inueniunt. Partium situs, connexio, figura, magnitudo, conformatio, & numerus suam habent explicationem; quando uel cognitionem instituimus eius, quod est præter naturam, uel opus aggredimur. Diuersa siquidem præsidia ob illorum diuersitatem sunt necessaria. Sic sanè si quædam alia sunt, de quibus dicere solemus in consultationibus, prædictis capitibus ea inseruntur; ac de illis suo loco pertractabimus, docebimusque quænam uno duntaxat, loco, quæ verò in pluribus uim suam obtineant. Quæ vero de singulis capitibus propositis explicanda sunt, postea docebimus, quum ostenderimus de quo capite prius sit agendum.

Quo ordine singula sint digerenda. Cap. VI.

Vix de multis differendum sit in consultationibus, scilicet explicandum, de quo primum dicendum sit, quid verò alio loco deinceps pertractandum. Id quod rei natura ostendet. Nam id, cuius causa aduocantur medici, primū locū meritō sibi vindicare debet. Ita que si ad morbum abigendum accersimur, de eo primum dicendum erit, si ad symptomata lenienda, de illis primo loco disputabimus. Quod si de causis morborum tollendis deliberandum est, illæ prime suam explicationem desiderabunt. At si nobis agendum sit de integra salute, & omnibus propellendis, quæ hominem urgent, certè à morbo auspicari nos oportet; quoniam ad illum omnia alia referuntur: Siquidem morbi signum, symptomata, causa, & curatio dicitur. Esto igitur (ut exēplo res doceat) q[uod] aliquis per febres laboret dolore capitis, q[uod] lenitione postulet, & huius causa conuocentur medici, quid aliud (quæso) dicet, aut à quo auspicabitur præterquam à dolore, cuius naturam, & uim expendet, remediaq[ue] proponet, quæ putat idonea ad eum mitigandum, temere verò (meo quidem iudicio) ille tentabit de febris natura, & alijs symptomatis, aut causis, quæ reliqua mala pariunt, loqui. At si ad hominem liberandum ab omnibus malis, quibus molestatur, accesserimus; inepte vel à dolore, aut ab humore molestante, vel ab occasionibus mali, aut à signis, vel curatione incipiemus; sed statim quærendus erit morbus, qui infestat, & de eo disputandum, quid verò de eo dicendum sit, sequenti capite ostendetur. Secundo loco de symptomatis dicendum, quæ nos ad agendum mouent. Nā quoniam s[ecundu]m morborum differentiae easdem habent causas, quas huiusmodi symptomata, ne cogatur bis causas istorum repeter; præstat post morbos de symptomatis differere. Occurrunt deinde morbi causæ; cognito enim morbo, illiusque differentijs, & symptomatis, agnoscimus quoq[ue] euratio ne opus esse: id quod quum fieri nequit, nisi causæ tollantur, propterea de illis differere cogimur; quibus perfectis prædicendum est, & signa omnia colligenda, quæ euentum morbi prænunciant. Docet enim prædictio, an curandum sit, uel nihil agendum; siquidem morbos desperatos sola prædictione dignamur, aut certè nullo generoso remedio tractamus, ne ob infelicem euentum utilia præsidia infamemus: eos autem omni ratione abigere aggredimur, qui operam nostram admittunt. Tunc enim cōmodè prædicere possumus quæ futura sunt, nimur quum ex natura morbi generibus, differentijs, symptomatis, partibus, & causis prognostica signa, ut & alia, sumantur. Hæc enim pro sua natura, magnitudine, paruitate, assiduitate, intermissione, benignitate, malignitate, simplicitate, compositione, æqualitate, ordine, & reliquis differentijs salutem, aut mortem, breuitatem, aut longitudinem morbi, solutionis modum, & omnis denique euentus rationem prænunciant. Quod si salutaris morbus dicetur, ultima pars, quæ curationem, causarumque remotionem docet, suum locum, suamque tractationem postulat. Sunt tamen nonnulla ex his capitibus, quæ mixtam & confusam cum alijs tractationem habent, eo quod ad illorum cognitionem assumantur. Nam morbum dicere non possumus huius generis esse, aut ad hanc differentiam pertinere, nisi signa adferantur, quæ ostendant ita esse. Sic asserimus hanc, vel illam esse causam ex suis signis ducta probatione, & ipsarum quoque causarum fit commemorationis, præsertim si procatareticæ fuerint causæ: ubi ostendere uolumus tum genus, tum differentias morbi. Dicit enim medicus hanc febrem esse putridam, quod cum rigore inuadat, quod sequantur sudores, quod eam putrefacientia commiserint: quod quum facit, causarum & symptomatum mentionem facit, quatenus hæc signa sunt; & proinde non omnium signorum tractatio peculiare caput facit, sed eorum, ex quibus futura prædicimus; quippe quum reliqua duo genera toties ueniant in usum, quoties aliquid est ostendendum; causæ vero peculiarem habent explicationem; quando non ut signa, sed ut causæ constituentes, augentesque morbum considerantur, quæ postea magis patebunt ex singulorum tractatione. Verum antè quam id aggrediamur, refellenda

Ioan. Argent. De Consultandi Rat.

F 3 mihi